


IOANNIS ALEXAN-
DRI BRASSICANI, IVRECON-
sulti, uiri doctissimi in *Gratias seu Charites*
commentariolus.



TECVM HABITA.

PARISIIS

Apud Ludonicum Cyaneum sub duobus gallis in
uia Iacobæa.

1533

D. Iohanni Fabro, sereniss. Archiducis Austriae consiliario, Ioannes Alexander Brassicanus S.

FTeocles Orchomeniorum rex ob clementem dominationē, atq; adeo placidam beneficentiam primus Gratiarum templum extruxisse dicitur. Tu uero Faber ornatiss. *ἱεροδοτῶν* primus apud nos tribus illis Gratijs suas aras dedicasti. Quae te contra tribus illis insignitum magnis dotibus ampliter exornarunt: nimirum & innocentissima probitate, & eruditione non tam magna quam eximie sincera, postremo uero neminē nō e bonis hominibus adiuuandi uolūtate, tam procliuī, tamq; solide cōstanti. Proinde tuas ad te gratias, non iā nudas, sed scholijs nostris utcunque bonis adornatas ad te mitto, sic enim & Aegyptij sacerdores decorum statuas aureis quibusdā pepelis obtinebāt, ut ornamentorū reuerētia, mortaliū expectationem adaugerent. Ceterum quum Gratijs perpetuum ducem Mercurium praefecerit antiquitas, admonuit orationis suauitatem maxime conuenire gratitudinī. quam certe nisi frequens exhibeam Fabro meo, stupidus aliquis fungus uideri queā. adeo nūquam adducā possum ut credam hominem esse qui non agnoscat effusissimā illam beneficentiā tuā qua iā olim uniuersum bonorū hominum chorū tibi lucrifecisti, neq; enim ad Gratiarū aras admittimus qui

*citra τὸ πρὸς πομπὴν περὶ πρῶτος παλαιὰς ἀκολῶν
 θίασιν in bonorum uirorum uitas impressionē faciunt.
 Bene uale patrone præstantiss. atque Gratiæ cum
 Apolline nostro recens ad te misso libenter accipe.
 Viennæ Austriæ, anno a nato Iesu M.D. XX XII
 Iulij die sexto.*

GRATIÆ, IOVIS ET
 EURYNOMES filiæ. Cap. I.



Esiodus in Theogonia scri-
 bit Gratiæ esse Iouis et
 Eurynomes filias: quippe
 quod exemplo beneficæ di-
 uinitatis, ac illius imitatri-
 ds iustitiæ conueniat nos
 esse quàm gratissimos, cū
 ingratitude sit μητρὸς πο-

λισ ἀπειθείας κακίας: contra uero gratitudo mater
 omnium uirtutum: quoniam ex illius fontibus proma-
 nat pietas in parētes, in patriam charitas, in deos
 religio, inter homines amicitia, in educatores et ma-
 gistros ueneratio, unde et apud Macedonas ac A-
 thenienses constituta erat actio aduersus ingratos.

Tres gratiæ, Aglaia, Thaleia, et Euphro-
 syne. Cap. II.

Pœtæ fingunt Gratiæ humanitatis ac beneuo-
 lentia præsidēs esse tres, at scribit Plutarchus

in libello quomodo oporteat philosophum disputa-
 tare cum principe: quarum hæc sunt nomina. Prima
 Aglaia, a gaudio. nam iuxta Epicuri sententiam,
 χαρᾶς οὐδέ τι οὐτῶς γονιμὸν ἐστι, ὡς χάρις.
 id est, gaudij nihil æque ferax est, atq; gratia. Altera
 Thaleia, a florulètia, quòd beneficij memoria sem-
 per uirere debeat. Tertia Euphrosyne, ab alacritate
 quæ dantem & accipientem consequitur. Principio
 frontem hilariorem exporrigant qui iã aliquid acce-
 perint: postmodũ conueniet meminisse dati: tandem
 tandem uero quemadmodũ cum uoluptate rem acce-
 peris, ita rursus àtra morositate reponere. Phur-
 nutus meminit quosdam duas tantum Grati-as fecisse,
 inter quos præcipui fuerint Lacedæmonij: beneficiũ
 uidelicet, & retributionem.

Gratiæ nudæ pinguntur. Cap. III

GRati-as nudas pinxit antiquitas, uel quòd be-
 neficia nullis externis cõmendationibus indi-
 geant, sicut ille Terentianus Parmeno ab amoris so-
 liatudinem parum probabat munus quod non esset
 uerbis adornatũ: Vel, ut inquit Phurnutus, quòd etiã
 nihil habentium sit gratificatio: siue quòd amicitia
 non sint colèdæ utilitate. unde est hoc poeta. ξενίω γυ-
 δὲ τὲ θυμὸς ἀέρισος.

Socratis Gratiæ uestitæ. Cap. IIII.

SOcrates cum adhuc lapides scilperet, Grati-as
 uestitas formauit, quòd oporteat homines be-
 neficos nõ exprobrare quæ dederint amicis, sed

quasi quodam amictu contrigere suam beneficentiam: ne iuxta Terentium in Andria, & Plautum in Amphitrione, frequēs illa cōmemoratio fiat exprobratio. Quemadmodū enim ciconiæ auium omnium plissimæ, & quæ sola ueræ gratitudinis symbolū obtinet, negant inesse linguam: ita quod in alterum officiosa pietate contuleris, minime tuis laudibus uehas (siquidem hic elinguem esse omnino conuenit) pulchrum, si per alios deprædicetur. Alij luculentas & profusas uestes Gratijs addiderunt, quod largitio debeat esse perspicuæ liberalitatis: deniq; ne beneficium ex auaritia conferatur, nec reponatur occulte. Proinde Eteocles Orchomeniorum rex, qui ob clementē dominationem, atq; adeo placidam beneficentiam, primus Gratiarū templum extruxisse dicitur, Gratijs prius nudas, uestitas esse pingendas & celebrandas iussit: significās ea beneficia esse iucūdiōra, atq; adeo gratiora, quæ & orationis suauitate, & uerborum amœnitate essent cōmendata. Author Pausanias in Græc. At. Meminit interpres Theocriti.

Gratiæ sic pictæ sunt, ut una faciem auertat, duæ uero nos aspiciant. Cap. V

Veteres ita pingebant Gratijs, ut una earum auerteret faciem, quasi a nobis profecta: duæ uero nos aspicerent, ut ostenderet rependi debere duplex beneficium: quod & Hesiodus admonuit, Non tantum αὐτῶ τῶ μέτρω, ἀλλὰ καὶ καὶ λῶιόν ἀμίας esse benefaciendum: & hac ratione

terram communem omnium matrem iustam appellamus, quæ longe plus reponere solet, quam accipit.

Gratiæ sunt inter se connexæ. Cap. VI.

Gratias item confertis manibus inter se connexas, non tam ad oculos detinendos, quam ad animos commouendos expriment: quod amicitia fœdera debeât esse perpetua, & beneficiorum uincula nūquam dissolui. Cæterum puellæ sunt, & uirgines, cum moderato quodam risu sese inuicē aspicientes: quod commonstrent beneficium semper recens esse debere, idq; non corrupte, sed integre. nō turpiter, sed honeste, non duriter & asperè, sed placide & iuauide referendum esse.

Cur una ex Gratijs fingatur uxor Vulcani fuisse. Cap. VII.

Homerus Iliad. lib. 6. fingit unam ex Gratijs Vulcani uxorem fuisse: uel quod artificiosa opera magnam gratiã habeant, ac omnium oculos atq; animos in sui admirationem pelliant: uel quod oporteat ardenti quadam charitate de amicis benemereri, neq; tam frigide cessare, quemadmodum ex Aesopico apologo de cassita Gellius noster admanuit. Cæterum optarim ut quidam uerbofi magis quam munifici subinde Gratiã illam Vulcano coniungant, hoc est, paulo ardentius amicis suis prodesse studeant.

Gratiarum simulacra in Elide. Cap. VIII.

PAUSANIAS scribit in Elide fuisse Gratiarum simulacra, quarum una rosam, media talum, tertiaramum myrti tenebat. Aglaia rosam ferebat letitiæ symbolū, ut est apud Aphthoniū in progymnastica sinatis, et Libaniū in declamationibus. Thaleia, talum, qui lusus est puellarum apud Pollucē: et in mittendis muneribus nonnumquam pro amicitiae iure ludere consueuimus. Euphrosyne uero ramum myrti, quod animos hominum beneficijs ulro citroque datis conciliat: nam haec arbor olim dimicaturus inter se Romanos et Sabinos propter raptas uirgines, depositis armis pacificatos inter se composuit. Quin et ob id a Castone coniugalis dicitur: et est sacra Vencri, nempe quae sit procreandis hominum seminarijs praefecta.

Gratiae in Aëdalio fonte lauantur. Cap. IX.

PAUSANIAS tradit Gratias in Aëdalio fonte, qui est Orchomeni Bæotiae ciuitate, subinde lauari: quod oporteat esse pura beneficia, atque adeo non habere sordidam illam retributionis spem: quadoquidem non paucos inuenias, qui Phœnicia commutatione, ut est apud Pindarum in Pythijs, donat pileum, ut accipiant pallium. Simonides poeta dicebat se duo habere scrinia, alterum gratiarum, alterum praemiorum: quae cum post tempus aliquantum aperuisset, gratiarum arculam semper offendeat inanem, praemiorum semper plenam. ad haec alludit Theocritus in Gratijs. *ὄρνυθ*

ῥᾶι δ' ἐ πάλιν κινεᾶε ἐπὶ πυθμῆνι χηλοῦ.

Quosnam Gratijs sacrificare conueniat. Cap. X.

PLato Zenocratem philosophum seuerioribus moribus præditum admonuit ut Gratijs sacrificaret, quæ mores illius subtristes paulo dulciiores efficerent. Quidam enim usque adeo Demæ sunt, ac in solis nauibus nutriti, ut neq; mores suos mutare, neq; ferre possint alienos. Proinde monendi sunt ut tandem cum Gratijs in gratiam redeant: hoc est, quæ nolint ipsi probare, saltem non damnent in alijs. Vere nanque dixit Homerus in Odyss. ξ. ἄλλος γὰρ τ' ἄλλοισιρ ἀνὴρ ἐπιτέρπειται ἔργοισ.

Hæc amice simul ac obseruande Faber de Gratijs uere tuis breuiter equidem, sed interea diluade concessimus, neq; enim ignoras quàm paruis quoq; rebus nonnunquã maior insit gratia, ut ille ait, χαρὶς βᾶλοισιρ ὀπῆ δ' εἶ: & quemadmodum equorum etiam capita in paruis cochleis eminent, ita in eiusmodi literarum minutijs nonnunquam eruditio non uulgaris emicat.

Finis scholiorum in Gratijs.